tum suum ad Civitatem Austriæ, ut superius declaravi. Et anno Domini M. CCCC. XI. resignavit idem Antonius de Portu-gruario officium pastorale Ecclesiæ Aquilejensis; & transivit Romam, & ibi electus est in Cardinalem Aquilegiensem. Et vacavit Ecclesia Aquilegiensis usque ad electionem istius Ducis fere per annum unum.

VI.

De rebus Forojuliensibus sub Ludovico de Tech ex alio Chronico MS. Patriarcharum.

Ludovicus Dux de Tech fuit electus in Patriarcham, & confirmatus in Concilio Constantiensi: & fuit electus in M. CCCC. XIV. & sedit annis VII. Iste habuit guerram cum Dominio Venetorum, Præfatum Dominium volebat D. Tristanum de Savorgnano reducere in domum suam cum sequacibus suis; & D. Patriarcha noluit hæc facere ad contemplationem aliquorum, qui habebant bona D. Tristani & Fratris, & aliorum sequacium suorum. Indicto tempore Homines S. Danielis furati fuerunt Varmum superius, & ceperunt D. Bartholomæum & Jo. Antonium ejus filium: & mala morte eos occiderunt, & turrim ipsius Castri combusserunt. Et dicto tempore Dominium Venetorum habuit Sacilum: & D. Patriarcha ivit in Ungariam. Et Civitatenses jam concordaverant cum præfato Dominio Venetiarum. Et rediens D. Patriarcha cum certis Ungaris fere quatuor millibus, venit in Patriam: & ivit in obsidium contra Civitatem Austriæ cum dictis Ungaris, & cum tota Patria. Sed in Civitatem Austriæ jam venerunt gentes equestres & pedestres Dominii Venetiarum, videlicet Thaddæus Marchio; & ibi stetit D. Patriarcha cum dictis gentibus & tota Patria diebus XV. Postea recessit propter magnum frigus, & propter nives: sed devastatæ fuerunt vites quasi circumcirca Civitatem Austriæ. Postea dictæ gentes reversæ sunt in Ungariam, & D. Patriarcha cum eis. Tandem præfatum Dominium posuit campum ad Pratam, & eam habuit. Et habita Prata, subito eam comburi fecerunt, & aquam per ipsam Pratam posuerunt; & sic destructa est Prata, & effecta est sylva. Item D. Tristanus de Savorgnano habuit tractatum cum aliquibus Civibus Utini, intrandi in Utinum; & una nocte aperta sibi fuit porta S. Gotardi, & intravit cum gentibus Dominii Venetiarum. Sed subito populus surrexit, & expulit eos de Utino; & ibi interfecti fuerunt aliqui stipendiarii pedestres; & squartatus fuit Thomas de Ronchonis, qui de dicto tractatu sciebat; alii autem fugerunt, & duravit guerra annis duobus cum dimidio. Postea per Utinenses facta fuit oblatio Serenissimo Dominio Venetiarum, ex eo quod D. Ludovicus non veniebat ad succurrendum eis, nec mittebat eis auxilium. Et ideo oportuit, ipsos concordare cum præfato Dominio Venetiarum. Et hoc fuit in M. CCCC. XX. die VI. Junii. Et facta dicta obedientia, missi fuerunt per Communitatem Utini octo Imbasciatores, ponendo se & sua in manibus & in gratia præfati Serenissimi Dominii Venetiarum. Et tunc præfatum Dominium eos suscepit, & voluit, quod ipsa Communitas se gubernaret & regeret, prout faciebat in tempore Patriarcharum, in civilibus; in criminalibus autem noluit, quod aliquid faceret propter discordias civium. Et voluit præfatum Serenissimum Dominium, ut omnia bona præfato D. Tristano, & Fratri, & sequacibus suis restituerentur. Et ita factum est. Et sic facta fuit obedientia ipsi Dominio Venetorum, nemine læso, vel mortuo, sed pacifice, & quiete. Et hoc fuit in M. CCCC. XX. die VI. Junii. Et D. Tristanus, & Fratres de Savorgnano, & sequaces intraverunt Utinum; & habuerunt bona immobilia vigore determinationis præfati Dominii Venetiarum; & tota Patria fecit postea obedientiam præfato Dominio, licet aliqui Castellani ante fecissent obedientiam. Venit præfatus D. Ludovicus in Patriam cum certis Ungaris, videlicet quatuor mille in M. CCCC. XXII. de mense Octobris, & accepit Manzanum & Rosacium; & postea aufugit propter gentes Venetorum, quæ venerunt in Patriam. Et postea prædictus D. Ludovicus Patriarcha mortuus est in Concilio Basileensi.

Et fuit factus Patriarcha D. Ludovicus de Padoa, existens Cardinalis, per Papam Eugenium IV. Sed Dominium Venetiarum noluit sibi dare dictam Patriam usque ad M. CCCC. XLV. Quo tempore præfatum Dominium dedit ipsi Domino Patriarchæ Aquilegiam, S. Vitum, S. Danielem, & D. Joannes de Reathe Protonotarius & Nuncius Domini Papæ, & Dominus Archiepiscopus Corphiensis venerunt, & acceperunt possessionem dictorum trium locorum; & residuum Patriæ Dominio remansit.

In margine ejusdem Chronici.

Alexander ex Ducibus Massoviæ Polonus, Episcopus Tridenti, & S.R.E. Cardinalis, Patriarcha electus. Qui optime meritus de Sede Apostolica fuit, & in publicis privatisque negotiis bene se gessit; sed propter turbulentias Ecclesiæ Aquilegiensis non se contulit in Patriam.

VII.

Urbes, Castra, Oppida, & Arces Forojuliense ex Codice MS.

Aquileja, Civitas, olim caput Venetiarum, nunc desolata.
Gradus, Insula, & Civitas.
Barbana, Insula, & Monasterium.
Mons-falco, oppidum & arx.
Arx D. Joannis Charsi, olim Templum Diomedis.
Noritia, sive Goritia, oppidum, olim Castellum Saligani vocatum.
Farra, olim Castrum; unde Comites Goritiæ antiquitus traxerunt originem: unde Comites Farrenses.
Lucinium, olim Castrum.
Gradisca, oppidum munitissimum.
Motta, olim arx, data quondam Nobili Militi Philippo de Portis a Bertrando Patriarcha.
Cormons, Castrum, olim Sedes Patriarchalis.
Braithanum, olim Castrum.
Drusum, sive Thrussium, Castrum.
Gramolianum, Castrum.
Ungrispachum, Castrum.
Vipulcinum, Castrum.
Sacilettum, Castrum desolatum.
Strasoldum, superius, & inferius, Castra.
Rosacium, olim Castrum, nunc Abbatia.
Manzanum, Castrum dirutum.
Butrium, Castrum demolitum.
Utina, Urbs novissima Patriæ Forojuliensis.
Cividatum, Urbs Forojuliensis antiquissima, & post Aquilejam Metropolis Patriæ Forojuliensis.
Zucdula, Castrum dirutum.

Gro-

Variantes
P = Cod. Padua. Univ. - Bibl. 98. 2. XVI.
M = Cod. Marciana (Venedig) X, 132 f. 68 (Vorr. Rubeis, Muratori)
U = Kirsti, Stecrosta Forojul. Udine Com.-Bibl. pag. 36

Zu Rubeis VI.

col. 19a: a) 1413 P. b) om. P.; c) Tr. cum sequacibus suis reducere in domum suam P. d) restituerunt P. e) patr. dominus patriarcha esset om. et tota patria P. f) toto t. P. g) et acceperunt ser Bertalum P. h) om. U.; occ. comburata turrim ipsius castri item P. i) Venetiarum P. k) Sacillum M. l) Veneto U. m) forte P. n) impatria P. o) Austriam P. p) cum – et om. P. q) Civitate P. r) venerant P. s) eq. – ped. om. P. t) Thadeus U. u) Ungeria P. v) tandem M. w) sic P.; cum p. que d. Nicolussius – alii habuerunt M.; cum p. et d. Nicolussius et Tot. – alii habuerunt U.; x) subito fec. comburere P. y) pos. que nunc silva est P. z) Utinensis P. (cum pactis – salva om. Rubeis)

a) in Ut. M. b) Venetiarum P. c) subito P. d) eos expulit ubi aliqui et ibi P. e) Ronchonis qui cum suis dictis practetibus erat, alii vero ~~fugierunt~~ fugerunt P. f) fugerunt M. g) fuit facta obedientia P. h) Veneto U. i) quia patriarcha non v. P. k) venerat U. l) obedientia M. m) imbesciatores M. n) om. U. o) ex^m P. p) legendum est emerant; cum loc – suorum om. Rubeis

col. 19b: q) obvia M.; obviam U. r) Venetorum M. s) T. de S. e (et) fratres U. t) excellentissimi dom. Veneti licet U. om. et – dominio. u) obviam M. et sic postea quoque U. v) quae patriam om. U. w) factus fuit U. x) Padoa M. y) Heng. U. z) Venetorum U.

a) tam Venetum add. U. b) cum – patria om. Rubeis. c) Reathe U. d) hic explicit U.; quae sequuntur usque ad patriam in M legunturur in margine.